DE TYPHO ABDOMINALI ROVEDAE PAGI TYROLENSIS ANNO...

Gaspare Tavelli

Digitized by Google

DE

TYPHO ABDOMINALI

ROVEDAE PAGI TYROLENSIS

ANNO 1838-39 GRASSANTE

Dissertatio Inauguralis

HISTORICO-MEDICA

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

IN LYCEO MAGNO PATAVINO ADIPISCENDAM

PROPONIT

GASPAR TAVELLI

TYROLENSIS E PORTULO

PATAVII

TYP. CARTALLIER ET SICCA

1840

UNIONE FARMAC. IN

Digitized by Google

Digitized by Google

VECTORI CORAZZOLA

VIRO PROBISSIMO, MEDICO EXPERTISSIMO,

CASPAR TAVELLI

Vehementer animus mihi gaudet, quod propitia mihi occasio, in qua meae erga te existimationis et reverentiae publicum tibi perhibeam testimonium, offeratur. Trepidus quidem, ut juvenem tyronem decet, hasse pagellas legum jussu publici juris eram facturus; nunc vero tuo exornatas nomine indulgentiam mihi comparaturas spero: judicium enim quod de ipsis feretur minus erit acrius spectatissimi tui patrocinii gratia. Materiam, quam mihi pro Dissertationis themate evolvendam proposui, jam tibi funditus innotescit; neque me fateri pudet a consiliis tuis potissimum auxilium recepisse. Ignoscas, quaeso, si labia mea aliquando laudes tuas cecinerint; sileat modestia tua; sine

Digitized by Google

644

animum meum gratum et reverentiam me vulgare; nimis enim mens opprimeretur mea ubi mihi silentium praeceperis. Perge claram quam tibi jam strativisti viam: medica ars, patria, homines laborum tuorum firmissimo fruentur emolumento. Vale.

Dabam Patavii **1840.**

Digitized by Google

DE
TYPHO ABDOMINALI ROVEDAE
ANNO 1838-39.

Diem hanc exoptatissimam quum desiderio festinarem, aliqua me semper sollicitudo de argumenti pertractandi delectu corripiebat. Postremis autem hisce mensibus nuper elapsis, lacrymabili quodam fato evenit, ut ipsum patriae telluris infortunium necessitati meae, ut ita dicam, opportunum occurreret. Quin juvenis modo academicis disciplinis difficultatem novitatis demonstrare laborem, sponte fluit me hinc discessurum, ut in posterum aliquid in artis medicae incrementum proferre valeam, non vero, ut hodie tradam. Loci uti medicinam facere, morbum describere ibi nuper grassantem oratiunculae meae thema fiat; et quamvis angustum plagae ambitum peragraverit, nihilominus observationes inde possent hauriri, quae ad vastiorem soli extensionem conveniant. Venia mihi quaeso concedatur, si nimio patriae ductus amore, id vellem et caeteris alicujus facere, quod mihi potissimum evadit.

Situm topographicum Rovedae, Tyrolensium pagi, aliquantisper cognoscere alicujus erit praetii, ut et qui locum non viderint, influxum intelligant, qui morbum, de quo sum disserturus, forte promoverit, vel saltem efformatum et evolutum sustentaverit.

Digitized by Google

646

Juxta montis inclinationem pagus conditur; plagam respicit meridionalem: habitacula ita construuntur, ut locum ingressus emineat soli conversus, cubicula autem interna septentrionem respicientia humi confodiantur. Propter soli necessitatem demissae sunt casae, frigidae, nulla vel parcissima ventilatione laetae. Incolae immunditiei, propter rerum inopiam, obnoxii, communem, ob proximitatem, cum domesticis animalibus aerem respirant.

Priusquam materiem adgrediar, grates mihi sunt reddendae clarissimo medico Vectori Corazzola, qui mirabili cum sapientia, spectabili cum humanitate et solertia morbum epidemico-contagiosum in modum Rovedae grassantem, ejusque sequelas avertit. Ab eo enim necessarias notiones accepi, quibus Dissertatio mea superstruitur.

Morborum epidemicorum aut contagiosorum attenta observatio medicinae semper maximam attulit utilitatem: eruitur hinc medicam experientiam magis oculis, quam libris adquiri. Vidimus nostris diebus celeberrimum Rasori in epidemia genuensi, illustrem Tommasini in typho hycterode americano et liburnensi describendis, medicorum omnium admirationem sibi comparavisse propter corollaria practica quae inde sunt deducta. Absit a me arrogantia illorum gloriam neque mente concupiscere; exemplum enim eorum sequi solum me lubet, virorumque praeclarorum studia imitari fas est.

Morbi forma, quae Rovedae anno 1838-39 saeviit, valde affinis est illi, quam veteres *synochum putrem* nuncuparunt; *febrim mucosam* Raderer et Wagler, febrim *adeno-meningeam* et *adynamicam* Pinel, fe-

Digitized by Google

brim *entero-mesentericam* Petit et Larrey, *gastro-enteritidem adynamicam* Broussais, febrim *typhoideam* Lovis et Chomel, *Dothienteritidem* Bretoneaux, *ileo-dichtiditem* Bally dixere.

Symptomata quae referam sententiam meam confirmabunt. Indefinita aegritudo universa, quam leves turbae concomitari solent, scenam aperit: succedunt mox nausea, alimentorum horror, vagantia tormina, alvus per vices diarrhoica, sed brevi, quae pluries et abit et redit. Interea aegritudo molestior fit, prosternuntur vires musculares; artuum dedolationes, et praesertim cephalaea, intolerabiles evadunt; febris continua remittens evolvitur. Abdomen quidpiam tenditur et dolet. Pulsus initio fortis et frequens; morbo decrescente, plerumque debilis et irregularis. Urinae clarae et parcae morbo ineunte, deinde turbidae et sedimentosae. Lingua muco albido-flavicante obducta per hebdomadam circiter duratura, formam solum gastricam morbo induente; stadium nervosum vero si supervenerit, albo-rutilans et arida lingua fit. Periodum nervosam si medicus praecaveat, aut nisi acciderit, lingua usque ad morbi decrementum et terminationem eadem semper remanet, neque arida valde evadit. Sitis semper et apud omnes clamosa; alvus saepe cum lumbricis, diarrhoica, vel saltem fluida. Cutis initio marmorea et urens; finem versus madida et aliquantisper calens; eruptionibus numquam foedata, duos si excipias casus in quibus, saeviente stadio nervoso, petechiae comparuerunt. Pectus phaenomenis morbosis semper immune observatum est. Vigilia pertinax, somnus primis horis interruptus, in aliis inquietus; in aliis autem stupor, somnolentia, baryecoja contige-

Digitized by Google

688

runt. Nonnulli delirio atque tendinum subsultu correpti sunt: horum autem illi qui stadium nervosum ingrediuntur; atque etiam apud hos tranquillum fuit vaniloquium. Tristis omnium adspectus; emaciatio notabilissima brevi et temporis spatio occurrit.

In epidemico abdominali typho Rovedae, febri peculiaris comes plerumque fuit helminthiasis: exitus consueti, vel magis frequentes, observati sunt hydrops, phlegmon metastaticum, miliaria, petechiae, in iis solum, qui morbum aut neglexerunt, aut exasperaverunt, vel remedia recusarunt; praesertim autem in individuis, aetate vel prava dyscrasia humorali, praedispositis, tanquam in sene quodam metastasi phlegmonosa mulctato praelaudatus Doct. Corazzola observavit.

Morbi duratio a quarta ad sextam usque hebdomadam protenditur. Crisis ordinaria per sudorem, urinas, diarrhoeam, cessantibus sensim sensimque praefatis nuper symptomatibus, contingit. Monuisse hic juvat, quod egregius professor Palazzini medicus mantuanus jam adnotaverit; nempe « eadem ratione, qua » virium muscularium prostratio, cephalaea, stupor » tinnitusque aurium symptomata constantia fuere, » quae febres epidemicas petechiales, quae omni bien» nio vel triennio ab anno 1776 in agro viadanense » in mantuana ditione olim grassata sunt; » sic tum in hac quoque febri hujusmodi phaenomena superveniant per analogiam typhus abdominalis Rovedae in epidemiarum nosocomialium aut contagiosarum classem similiumque redigi potest. Neque modo ab observatis Rovedae, sed etiam morbi hujus symptomata cum affinium phaenomenis conferentes, eruimus typhum abdominalem, quem Roche *gastro-enteritidem*

Digitized by Google

follicularem acutam appellat, morbum esse contagiosum, quacumque causa procedat. Bretoneaux unum et individuum hoc morbo laborans in populum sanum transvectum contagium promovere posse arbitratur; Levret et Gendron eandem sententiam professi sunt.

Causarum duplex distinguitur ordo, remotas nempe, et proximas seu occasionales. Primis adscribuntur:

1) Dominans anni constitutio, nec non vicissitudines atmosphaericae; aestas scilicet calida et sicca, venti australes. Apricus et soli expositus Rovedae situs, qui quum constitutionibus corporis biliosis multiplicandis faveat, facilius febres biliosae, diarrhoeae et colicae biliosae, erysipelata febresque intermittentes evolvebantur.

2) Hominum, pecorumque et jumentorum sordes nauseabundae circum habitacula coacervatae continuas mephiticas exhalationes emanant, foetorem intolerabilem inducentes. Habitacula in situ inclinato constructa, unde superius humi confodiuntur, angusta, humida, frigida, male ventilata, unde homines animalibus domesticis proximi degunt.

3) Hominum, aedumque sordidissima immunditiees, quae quum hos apud incolas ab antiquo fere in consuetudinem radicatam transiverit, difficile tolli poterit.

4) Pravum et deficiens nutrimentum ob frugum inopiam, labores diuturnae et defatigantes, et hasse propter causas animi tristissima pathemata.

Quam ob rem, quum Rovedae incolae hujusmodi remotis causis morbosis, aerem respirabilem foedantibus aut valde adficientibus, exponantur, necesse est ut in eorum organismo turbas patiantur, alterationesque

Digitized by Google

pathologicas subeant, quarum causa in iis morbosum sui generis principium, quale contagium typhoideum est, evolvatur. Neque abs re puto celebris Palloni Liburnensis verba hic referre, quibuscum asserit, propriis observationibus ductus, se cum J. Hunter aliisque, febrim carcerariam aut nosocomialem tamquam febrim gastrico-typhoideam exanthematicam essentialem, aut variolarum, morbillorumve ad instar, principio sui generis constitutam considerari debere: corpus humanum subjectum datis circumstantiis susceptibilitatem adipisci praefatum miasma producendi, quod in alia individua propagatum eumdem in iis morbum suscitare valeat, qui humores animales pervertendo, sibique, ut ita dicam, assimilando, ad superficiem corporis, atque praesertim systematis capillaris minimas extremitates adpulsus multiplicatur, opportuniorem occasionem ad organicam hujusce miasmatis productionem in hominum laesa valetudine adfecti, loco angusto, sicuti in carceribus, navibus, nosocomiis, castris, pauperum tabernis, et sic porro consistere.

Causa proxima, sicuti Tissot sua in epidemia Losanae adserit, hujusmodi febris gastrico-typhoideae a miasmate morboso est repetenda, quod animalem oeconomiam invadens, systema gastro-hepaticum et ganglionare abdominale, intestina tenuia, praesertim duodenum, primitus irritat, principium in iis phlogisticum promovet. Hoc repetitae cadaverum sectiones plurium celebrium medicorum antiquorum et recentium comprobarunt; et inde desumitur forma morbosa superius descripta, ejusque contagiosus character in eo constituitur, quod homines temperamento, aetate, consue-

Digitized by Google

tudinibus, vitae genere diversi, dummodo loci influxu praedispositi directe vel indirecte communicationem cum infectis hominibus inierint, serius, ociusve morbo identico successive correpti sint.

Alterationes pathologicas apud cadavera typho abdominali interemptorum, ab initio in membranae mucosae gastrico-intestinalis quodam turgore, per maculas formam ellipticam referentes exacte circumscriptas, largiores vel crebriores prout magis ad terminationem ilei accedunt sese prodeunte, consistere, per autopsias compertum habemus. Hujusmodi maculae folliculis mucosis volumine adauctis efformantur; eorum quiscumque muco denso, aut pure, aut materia caseosa repletur; eorumque hiatus macularum punctula depressa constituunt. Serius crassiores praefatae maculae fiunt; aliqui folliculi seu separati, seu in centro ipso macularum, vel tandem congregati, notabilius augmentum assumunt, atque sub forma pustularum generatim rotundarum, interdum in superficie scissarum, cavarum in centro, pluries rosacearum aut nigricantium, pallidarum modo, saepe rubrarum, fungosarum, mollium, rubra inflammatoria areola circumdatarum; varia postremo a lentis usque ad dimidii vel unius pollicis longitudine super latitudinem dimidii, magnitudine, dummodo sint elliptica, ostenduntur. Quisque folliculus in ulcusculum transit, vel plures in latiores exulcerationes mutantur. Hoc autem in casu perpendiculares modo rotundos, modo vero irregulares margines ulcera referunt; elliptica esse consuescunt; fundo griseo a membrana musculari, vel a peritoneo aliquando efformato instruuntur. In fundo aut in marginibus horum ulcerum vasa partim erosa, in-

Digitized by Google

692

tegra interdum reperiuntur. Folliculus tumefactus aliquoties gangrena correptus labitur, atque forunculi apicis ad instar amovetur, aut macula integra in escharam migrat. Gangrena vel saltem membranam mucosam aggreditur, vel caeteras etiam invadit: hoc autem in casu intestinum perforatur; sed propter simplicem ulcerosam erosionem saepius hic infaustus exitus contingere visus est. Granulationes inter, pustulas aut ulcera, membrana mucosa veluti in statu sano pallescens, aut vehementer sanguine injecta plerumque observatur.

Eodem tempore quo istae turbae in intestinis fiunt, ganglia mesenterica inflammatis folliculis respondentia hujus phlogoseos participia sunt.

Volumine primum, roseum sumendo colorem, augentur; serius, incremento semper progrediente, rubrum suscipiunt, compagis eorum cohaesione imminuta. Paulo vero post volumen decrescit, emolliuntur, violaceum induunt colorem, deinde in pultem nigricantem convertuntur. Longius autem morbo durante, folliculorum aliqui atrophici evadunt, aliqui e contra in cystim materia puri sanguini mixto simili, aut genuino pure albo et caseoso, pure vel concreto, fere tuberculoso, oppletam mutantur. Horum volumen gangliorum a pisi usque ad ovi columbini magnitudinem variat.

Laesiones pathologicae, ad encephalum referendae, consistunt aut in vasorum meningum sanguineorum injectione, aut in ipsius substantiae corticalis et medullaris sanguinea injectione per punctula e sectione scatentia deprehendenda. Neque raro est serum in ventriculis aut inter meninges extravasatum reperire.

Digitized by Google

Haec depromuntur e cadaveribus typho abdominali adfectis. Rovedae generatim benigna indole donatus visus est; atque tum solum lethalis est observatus, cum hydrope, metastasi phlegmonosa, petechiis aut delirio, tendinum subsultu et summa virium prostratione graderetur.

Therapeuticum, diaeteticumque tractamen febris hujusce juxta stadium, gradum morbi, aegrotique individuales circumstantias, nec non complicationes adcommodandum est. Remedia cum utilitate adhibita sunt: venae-sectio, hyrudines, emetica, cathartica, antihelmintica, diuretica, diaphoretica, emulsa oleosa cum aqua laurocerasi, et sic porro; juscula tenuia, decocta hordei et oryzae alimenta solum concessa fuere.

Tartarus emeticus sive plena, sive refracta dosi non omnibus propinatus, sed iis tantum, qui gastrica saburra laborabant; in gracilibus, abdominis tensione, et torminibus detentis, praesertim in gravidis, oleum ricini, amygdalarum dulcium, pulpa cassiae, tamarindi, manna, sulphas magnesiae, cremor tartari cum calomelano in usum prospere vocata sunt. In hydrope squilla marina, nitras potassae; in metastasi phlegmonosa hyrudines et potus emollientes valde profuerunt. Remedia tandem excitantia, sive permanentia, sive diffusiva, tamquam cortex peruvianus, serpentaria, aquae destillatae aromaticae, opiata, aetheres, vinum, castoreum, moschus, camphora, neque in individuis stadium nervosum subeuntibus juvare visa sunt, et ubi per aliquod temporis praescriberentur, syncopes et convulsiones illa statim sequebantur. Hoc jam in typho abdominali epidemice grassante De Hein, Grossheim, Eben in Diario medico Hufelandi adnotave-

Digitized by Google

(194-

rant, neque statuere haeserunt curam stimulantem in hisce epidemiis perniciosam semper esse futuram.

Ad convalescentiam promovendam vinum merum initio parca dosi, et mixturae stomachicae cum victu tonico-rutriente commendanda sunt, quippe quae valetudinem accelerant et confirmant.

Prophylaxis tandem, ut ad reprimendam paenitusque hanc febrim epidemicam tollendam efficax sit, sequentibus superstruatur praeceptis necesse est.

A) Hominum, familiarumque suspectorum integra et vigilata segregatio.

B) Assiduis atque expertis parabolanis aegroti muniantur, qui non modo aegros invigilent, sed etiam valetudinaria ventilent, aceto et junipero suffumigent, linteorum munditiem continuam servent.

C) Locus constituatur ad lavacra perficienda, et aquam familiis infectis aut suspectis suppeditandam, quo familiae sanae erunt arcendae.

D) Vir eligatur extra familias aut infectas, aut suspectas, ut ipsis necessaria suppeditentur, earumque pariter nec non aedum externam et internam expurgationem per individua morbo epidemico jam sanata praecipiat et dirigat.

E) Sordes, cunctaque salubritati nocua circum habitacula, aut in iis, per ventilationem amoveantur.

F) Curandum ut aegroti, praesertim pauperes, victu, vestibus, linteis instruantur.

G) Epidemia ablata, locorum infectorum aut suspectorum generalis mundatio per suffumenta chlori et similium perficiatur.

Haec complectitur propositio mea, ibique finem hisce imponam pagellis, quum ulterius progrediendi

Digitized by Google

mihi materies desit. Facili quisque cognoscet negotio me adcuratius et perfectius opus texere potuisse, quum in epidemiis et contagiis nusquam diligentia et observatio supervacaneae sint. Mihi quoque hujusmodi animadversio menti advenerat; ast putans mihi non esse auditorum meorum benignitatem defatigandam, quum caeterum sapientiam scientiamque illorum augere nunquam possim, veniam exorando sileo.

Digitized by Google

lg 76

THESES DEFENDENDÆ

1. Si ad causas et symptomata spectes, typhus pro indole astenica deponit.
2. Ramazzini, Gaubio, Baglivi et Botallo phlebotomia pluries celebrata typhum sanarunt.
3. Inter vires physiologicas et pathologicas magnum datur discrimen, et eheu quam observandum!
4. *La diagnosi della diatesi sarà sempre lo scoglio eterno dell'arte*, ait optime Tommasini.
5. Terraemotus morbos inducere valet, illique contagiosi fieri possunt.
6. Gastrorrhaea frequenter adest, quin sanguinis sputus observetur.
7. Inter exanthemata et profluvia maximus datur nexus.
8. In fracturis cranii cum ossium depressione, trapanatio instituatur antequam symptomata cerebralia manifestentur.
9. Parectama hepatis vitium in potatoribus valde frequens.
10. Onaniae vitium cordis palpitationem gignere potest.
11. Usque dum medicinam exercentes discrepabunt in morborum denominationibus magis ac in re ipsa, impossibilis evadit statistica.
12. Phlebotomia *per venaesectionem* phlogosim organicam interdum producit.

Digitized by Google